



A Santa Sé

PIUS PP. X

EPISTOLA

DELECTAVIT NOS*

AD TERTIARIOS FRANCISCALIS E FOEDERATIS SODALITIIS URBIS

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Delectavit Nos vestra nuper communis epistola: in qua primum, grata vos accepisse dicebatis Apostolicas Nostras Litteras, « *Septimo iam* », quibus tres Franciscales familias primi Ordinis pares inter se esse ediximus. Quarum statutis Litterarum uti omnes, quos attingunt, in perpetuum parere debent, ita non est dubium, quin vos, quod ad vos attinet, religiose obsecuturi sitis. Deinde vehementer placet quod cognovimus, dari a vobis operam, ut, quemadmodum iam quotquot estis Romae Tertiarii Franciscales ex variis sodalitatibus fraternali foedus rite fecistis, ita vobiscum cetera quae sunt per Italiam generis eiusdem sodalitia consocietis. Nihil enim societate istiusmodi ac foedere videtur opportunius. Quum sit exploratum vires coniunctas efficaciores esse quam singulas, cernere licet quam studiose catholici nominis hostes in unum conglobentur, ut nefaria certius proposita contingent. Ergo ad repugnandum istis congruenter, oportet omnes boni coeant, iisque in primis, qui ex instituto Patriarchae Assisiensis, et ipsi christiane sapere ac vivere in exemplum, et christianam fidem moresque in populo fovere ac tueri debent. Quare agite, et optimum incepturn alacres persequimini, divino confisi auxilio. Cuius Nos auspicem vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem paerna cum caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Decembris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X

*AAS, vol. II (1910), p. 12.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana